



**In anathematismum, cui Gregorius XIII. PP. Romanus  
illistrissimum principem Gebhardum Truchsium,  
archiepiscopum Coloniensem, S.R. Imperii electorem, etc.  
damnavit nuper**

<https://hdl.handle.net/1874/9164>

Ag. 167.

# In Anathematismum.


C VI G R E G O R I V S

XIII. P P. R O M A N V S I L L V S T R I S-  
S I M V M P R I N C I P E M G E B H A R D V M

Truchsium Archiepiscopum Colonien-  
sem, S. R. Imperij Electorem, &c.  
damnauit nuper.

Leonharti VVaramundi Turingi  
*Admonitio.*

O M N I B V S S. R. I M P E R I I E T P V B L I C I  
Germaniae boni studiosis apprimè utilis  
& necessaria.



Lugduni Batauorum,

M. D. LXXXIII.

PIIS LECTORIBVS AC VERE  
GERMANIS, LEONHARTVS  
VVARAMVNDVS TVRINGVS

S.

**P**le & benigne Lector, finis quem ante oculos habui in hoc meo  
scriptionis genere nō potest tibi non esse cognitus. Germaniam  
sua bona nouisse desidero, atque vt norit meam qualem cunque  
operam, fidelem certe, exhibeo in hoc argumento. Nam cū  
hic anathematismus peruenire non possit in manus omnium,  
deinde etiam si perueniat, ab omnibus non æquè intelligi, visum nobis est bre  
ue hoc anathematis interpretamentum dare in publicum, vt sine villa Nota  
rij aut sacerdotis manu sigillo uie (quod Gregorius PP. imperat) tolerabilio  
re pretio volentes possint legere, & ex argumenti huius comparatione tum  
perdita confilia ubi sint, tum salutaria commodiūs recognoscere, & in com  
mune Germaniae bonum incumbere. Sed quia fortè erunt qui solum anathe  
matis exemplum vna per lectione cupient percurrere, nos etiam ad finem se  
orsim purum putum illius exemplum, vt perlatum fuit ad nos, subiecimus.  
Terogo, benigne Lector, vt hoc meum officium accipias in bonam partem:  
Deum verò & Dominum Iesum Christum, vt tibi, Germaniae to  
ti, & Ecclesie benedicat, omneisque suos defendat ab  
omni malo. Vale,



In Anathematismum,  
**CVI GREGORIVS XIII.**

PP. GEBHARDVM TRVCHSIVM  
ARCHEPISCOPVM COLO.  
NIENSEM DAMNAVIT.

Leonharti Waramundi  
Turingi

A D M O N I T I O .

**S**i quisquam hoc tempore in Germania est qui nulla præsentium rerum commiseratione afficitur aut instantium malorum metu, is certè non modò vir bonus, sed ne homo quidem dicendus est. Ac me quidem ut in eadem naui versantem, ut coniunctum naturæ lege, ut pietatis iure obstrictum miseret non mediocriter conditionis istius quam sibi oblatam ut in theatro spectandam gratulabuntur exteris, eis Germania flebit arreptam, nisi Deus misericordia sua paterna respexerit. Sed quia bonorum est omnium ut quantum possunt aqua extinguendo incendio afferant, qui autem nihil aut parum possunt hi aliqua saltē significatione officium illud expleant quod manus sua negat infirmitas: omneis vi-

ros bonos Germaniceq; pacis studiosos, quascunque  
 partes amplectantur, oro e<sup>g</sup> obsecro ut meum hoc  
 officium quantumcunque est in bonam partem acci-  
 piant, animumq; probent, si quid in hac causa cona-  
 bor demonstrare quod non huic solùm incendio auer-  
 tendo, sed pracauidis alijs usui futurum putauero.  
 Neminem Germanie amantem statui offendere,  
 in neutram partem inuehi, nemini sciens volens ob-  
 loqui: tantum quam modestissime possum ex re pre-  
 sente grauiissimi istius incendiij causas à Germania si-  
 nui in suos autores depellere. Quapropter memori-  
 am rerum antegestarum non refricabimus (nam me  
 minerunt adhuc permulti, e<sup>g</sup> molesta foret nonnullis  
 earum recordatio) sed illud ipsum scriptum ana-  
 thema sumemus expendendum quod foris ad nos an-  
 te dies aliquot fuit importatum e<sup>g</sup> acceptum magno  
 malo nostro. Illius argumenti à Gregorio XIII. Pa-  
 pa transmisisti fundamenta, narrationes, sententi-  
 am, effectasi explicauero, utilem planè operam Ger-  
 mania, Christiano orbis salutarem e<sup>g</sup> Deo gloriosam  
 videbor mihi prestitisse: præsertim cum ex unico illo  
 scripto, si quis accurate volet recognoscere, causa re-  
 rum istarum omnium perdisci possint.

## Inscriptio.

Ac primum quidem nequeo satis mirari quid  
 hoc tempore Gregorium XIII. commouerit, ut scri-  
 ptum huismodi hac inscriptione oculis Germania  
 obtrudaret, Gregorius Episcopus seruus seruo-  
 rum

3

rum Dei, ad futuram rei memoriam. Nam hoc inscriptionum genus, ad futuram rei memoriam, ab ijs solet usurpari, qui aut veteres sunt domini ex ciuili iure, aut iure gentium aliqua victoria parta dominium recens sibi comparauerunt, cuius Victoria tropaea & dominationis monumenta volunt statuere. Ciuitati iure quis verè Germanus annuat Gregorium Boncompanium Bononiensem in Germania libera imperium obtainere? Fure gentium si dixerit quisquam, victorias, palmas, triumphos non video: & illud magis auditum est post omnem hominum memoriam Romanam Italiamq; à Germanis fuisse vietam quam ab Italibus aut Romanis ipsis Germaniam. Ecce autem repente nobis in Germaniam Roma tropaum allatum: tanquam si Gregorius XIII. (ut est vigilansissimus) triumphum ante victoriam, victoriam ante belli signum, confecta denique omnia ante congressum cum hoste aut hostis conspectum accineret. Quid si fecisse dicatur diuino iure? De hoc postea viderimus. Sed tamen aut stertens Gregorius somniat, aut ius illud diuinum abdicat, quum se nominat seruum seruorum Dei. Nam ista appellatione Spiritus Dei nusquam in sacris scripturis usus est, nisi ut maledictissimam abiectionem demonstraret, quum apud Mossem inquit, Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Age vero demus Gregorium hunc tam bonum socium esse &

4

peritum artificem, ut seruata sibi abiectione incredibili & humilitate maxima hoc nomen aureum defecauerit, & maledictionem ab eo velut scoriā se creuerit: omnino iniuriam facit seruus & seruorum seruus, qui tropaea & monimenta instituere putat eiusmodi in alieno fundo. Hac enim si fuerunt opus, à Domino fundi fieri & procurari oportuit: hac atque, Gregori, fuerunt Casari, Electoribus, & S. Imperij ordinibus committenda, non in antecessum decernenda. Sed ut rem ipsam hac inscriptione omissa videamus, animaduerto in hac causa duo à nobis expendi & enarrari ordine certo oportere: unum, quid illud sit quod isto Gregori jà tam authentico scripto continetur: alterum, quæ tandem effecta sint nobis ex eo scripto cœuentura. Antequam vero ad scripti explicationem veniamus, Germanos omnes ac verè germanos cupimus meminisse quisnam sit scripti illius autor. Primum Gregorius est Bononiensis in Italianatus non in Germania, ac proinde res Germania non curans naturalistudio. Deinde Gregorius est Roma sedens, ideoq; res Germania non amplius videns quam per corycaos & emissarios harum illarumue partium didicerit. Præterea Gregorius est Doctor iuris canonici, quo iure & diuinum infringitur quam multis paginis & ciuile contorqueatur, ac proinde ciuilis nostra in Germania administrationis expers. Quid amplius? quid? Gregorius Papa

5

Papa Romanus est, qui fidem Ecclesia Romana de-  
dit, ac non Germania: itaq; ut tota Germania &  
totus dilabatur mundus, Roma sua prosequuturus  
commoda, & Germaniam potius (ut regiones cate-  
ras) conturbaturus est quoad sciet poteritq; quam  
ut illam pacem honestam perferat qua tot heroum  
virorumq; fortium sanguine & sudore comparata  
est & piorum prudentissimorumq; Principum &  
ordinum totius Imperij consilio, opera, & autorita-  
te conseruata. Hac Germanus quisque cum animo  
suoreputans facile agnoscat intus consilia pacis ra-  
tionesq; dispiciendas esse potius quam Roma arcessen-  
das, aut si qua forte obtrudentur, temere admitten-  
das. Quid enim nobis, inquiet, extera hac consilia?  
quid aliena autoritas? quid Imperium alienum, in  
constituenda pace domestica? Si Roma petimus, de-  
sipimus: si accipimus, Rempub. perdimus: si feri-  
mus, cum Repub. nos imus perditum: si offeruntur il-  
la, ultroneam mercem putere meminimus, & eo ipso  
quod offertur nolentibus, subesse statuimus aliquid  
incommodi. Prudentis est videre non solum quid de-  
beat, sed etiam quid possit: neutrum nos Roma doce-  
re melius potest quam nostra Germania. Hac autem  
ita se habere tum natura docet omniumq; seculorum  
exempla, tum ex scripti ipsius genere paucis demon-  
strabimus. Quod ut commodius perficiamus, totum  
illud Scriptum Gregorij in tria membra distingue-

*mus. Primum est de fundamento illius scripti, siue  
autoritate Papa: Secundum est de facto vel causa  
illa que in scripto illo agitur: Tertium, de sententia,  
quam Papa & Consistorianis visum est in ista cau-  
sa dicere.*

*Atq[ue] hac fundamenti verba: Humani gene-  
ris conditor & redemptor, & summus æternusque  
Sacerdos in cœlis regnans, sanctam Ecclesiam  
suam Catholicam ita B. Petro Apostolorum  
Principi ac eius successoribus Romanis Pontifici-  
bus regendam tradidit, vt iij super regna & gen-  
tes constituti, potestatisque diuinæ principatum  
in terris obtinentes, quid in ea plantari, euelli,  
ædificari, aut destrui opus esset, decernerent ac  
iudicarent. Nos igitur in eadem Apostolicæ se-  
dis specula, quanquam tanto oneri impares, so-  
la Dei miseratione & gratia collocati, ad satisfa-  
ciendum muneri nostro eo solertiùs incumbere  
debemus, quò magis huius seculi calamitosi tem-  
pestates ingrauescere & nostram vndiquaque vi-  
gilantiam requiri non ignoramus. *Huius Loci*  
*summa est, potestatem Papa velut à Christo datam,*  
*nunc in hoc amplissimo Germania theatro à Papa*  
*ipso prædicari, tum ut dirarum suarum fulmine*  
*velut attonitos contineat suos, tum ut si eam rem*  
*quam sperat his non videntibus, alijs negligentibus*  
*& disimulantibus confecerit, suum illud principi-*  
*um**

um quod toties in Germania petijt asequatur de-  
nuò. Quod autem illud est? ipsum vices Christi in  
terrī gerere, imperia & regna tradere & adimere,  
Electores Principesq; instituere ac destituere, omnia  
denique agere, ferre, rapere arbitratuſo. Hanc ad  
rem perficiendam optimum gratulaturſibi oblatum  
esse argumentum: nam in eo demonstrari consilio-  
rum ſuorum audaciam oportere, & adhiberi sermo-  
nes illos rancidos & exſanguem fucum autoritatis  
ſua millies in Germania & innumeris modis confu-  
tatum.

Consilium enim quod attinet, videmus quid a-  
gat, ſic ille rationes init cum animo ſuo. Mixta hec  
cauſa Coloniensis eſt, partim ciuilis, partimq; Eccle-  
ſiaſtica: in ciuilem ut purè inuolemus, impedimento  
eſt heroica illa Principum Germanorum virtus &  
libertas, qui hanc nimis crassam & ſupinam audaci-  
am retunderent: De Eccleſiaſtica ut cognitionem,  
nobis assumamus ſpeciosa eſt plauſibilisq; ratio, qua  
hos adiungam mihi, illorum preſtinguam aciem ne  
artes noſtras videant, alios flectam ut videntes diſi-  
mulent nec audeant obloqui: ſi qui obloquantur, faci-  
li negotio ac penè nullo pauculam illorum manum  
comprimemus. Hoc ſi fecerimus,

Vicimus, ô ſocij, & magnam pugnauimus pugnam:  
pateat ſolummodò nobis honestus in hanc cauſam  
aditus, noſtram eſſe Germaniam ſpondeo: nam

Gebhardo isto deiecto, nobis permagna futura est au-  
toritatis accessio, & Principibus Germanis diminu-  
tio. Id unum maximopere prouidendum, ut arte o-  
ptima & conuenientissima singulorum Germanie  
Principum & Ordinum ora & oculos oblinamus.  
Huc duo pertinent adiumenta, religionis species &  
autoritatis. Species religionis est a nobis: Autori-  
tatis speciem petemus a Germania ipsa. Est nobis ad  
manum dilectus filius noster Andreas Cardinalis ab  
Austria, cuius familia, dignitas, nomen apud multos  
poterit plurimum: hunc adhibebimus & mittemus  
cognitorem. Quid autem? non successit iter? bene  
est, inquit Gregorius: & hoc nobis futurum est bo-  
no, quod illustris familia Austriaca ita offenditur:  
non enim iuuenis ille solum ad seniles & grauiissimas  
actiones delegatus indignè feret, sed toti illi familia  
exponemus indignitatem facti, amplificabimus, in-  
culcabimus, inflammabimus, atque hac fiducia freti  
iam aperte poterimus nostrum diploma edere, & Ro-  
ma in Consistorio nostro de membris Germanie no-  
bilissimis sedentes decernere, atque ut prisci Romani  
olim, sedendo vincere. Hoc illud ergo consilium est,  
quod Roma per hoc tempus fuit agitatum.

Desiderabatur huic consilio adornando pig-  
mentum & fucus, quo decepta Germania consi-  
lium illud acciperet. Hic verò imprudenter fa-  
ctum, quod Gregorius ille Pater sanctissimus cum  
suo

9

suo Consistorianorum grege adeò obstupuisse Germaniam putat ut pro solido corpore sit umbram arreptura, adeoque oculis caligare ut aridum, & obsoletum colorem aut mendax ~~veritatem~~, pro iusto & natiuo vultus ibi obtrudis nat. Nam quid est, obsecro, fucum facere, nisi hoc est? Jamdiu in Germania & bona Europa parte venit in controuersiam ille Primatus & potestas Papæ, vocatur in dubium, pernegatur: hic autem perinde agit atque si res semper fuisset posita extra omnem controuersiam.

Deinde vident ipsa quoque sordidissima Papæ mancipia iam diu potestatis illius quam sibi arrogat speciem dignitatēmque omnem abiuisse: hic verò non secus hanc causam proloquitur, quā si Germania pristina sua institutionis, contentionum, pugnarum, laborumque oblita quiduis qua uis conditione acceptura esset, & D E V M, fidem, libertatem, ordinem ultrò abiectura, ne in certamen illud quod anteà subiuit cogatur ruere. Quām segniter enim, quām putide suum illum ~~nonnū opù~~ regerit, quem toties Germania debellauit? Humani generis conditor, inquit, & redemptor, &c. Primum si in cœlis Christum regnare dicimus, an continuo inde effeceris non etiam in terris regnare? Hoc autem sibi Gregorius voluit, quum cœlos terris opposuit, & cœlestiterrenā administrationem:

hoc ille obscurè muſit at. Argutum verò sophisma,  
 Christum non regnare in terris, quia regnat in cælis.  
 Perinde est ac si quis dixerit Philippum Austriacum  
 neq; Neapoli, neq; in Sicilia regnare, quia in Hispania  
 regnat, aut humanam animam non agere in pe-  
 ctore quia in capite est efficax. Quo argumentorum  
 genere multò melius Germania usurpa est, si id affir-  
 mabit, nec Leonem x. nec Gregorium xiiii. in Ger-  
 mania imperium obtainere, quia Roma obtinet plus  
 satis. Nā quod Philippus proregeſ habet, id propter-  
 eā fit quòd non potest adesse vno eodemq; tempore ad  
 singulorum administrationem, ut ad singulorum  
 membrorum administrationem anima: Christi ve-  
 rō maiestas, gratia, virtusq; Spiritus adest nobis ad  
 consummationem usq; seculi. Contrà verò quia Gre-  
 gorio cauſidicē placet, ac non Theologicē agere, hoc  
 illi dixero, quum Philippus Neapoli est, cessat Pro-  
 regis autoritas: ut solis praesentia ſtellas obscurat eiſ-  
 que lucem adimit, ſic procerum potentiam praesentia  
 Regis eleuat: Et tu, Gregori, praesente Christo atq; in  
 medio nostrum versante autoritatem iſtam tibi vin-  
 dicabis? Quid verò? iſta verba, Christus sanctam  
 Ecclesiam ſuam Catholicam ita B. Petro Apoſto-  
 lorū principi ac eius ſuccessoribus Romanis  
 Pontificibus regendam tradidit, &c. iſta igitur  
 verba quis credat in hoc amplissimo Germania the-  
 atro profundipotuisse, niſi aut à deliroſene, aut ab ho-  
 mine

mine furioso, aut ab infante imperitissimo, aut ab histrione mimoue scenico? veruntamen hoc nobis Gregorius Bononiensis affirmat, hoc sancit Romanum Consistorium. At qui nemo est qui nesciat singula hac ferè dicta ex probationis inopia laborare, pleraque verò impietate non mediocri coniuncta esse. Etenim probatione opus habent ista, Petrum dici Apostolorum principem, eique præter omnes & supra omnes sanctam Dei Ecclesiam Catholicam fuisse commendatam & regendam traditam: nam hoc dicto isti homines arguti & belli sophistæ Christo etiam ipsum regnum cælorum adimunt, ubi Ecclesia iustorum Spirituum consecratorum est, potissima illa pars Ecclesia Catholicæ, si Petro omnis potestas data est in Ecclesia Catholicæ. Illa verò neque sine impietate ab ullo dici, neque sine horrore à pijsmentibus cogitari & audiri possunt, Romanos Pontifices B. Petri successores esse, scilicet ut fex succedit vino, ut igniluculento cineres, ut eleganti ædificio rudera: deinde Christum his certis successoribus eandem Ecclesiam regendam tradidisse, quam superstitionis fumo excœcati Reges & Principes antiqui non pauci prodiderunt, atque hisibi proditam funditus perdidereunt: tum egregios istos curatores potestatis diuinæ principatum in terris obtinere, id est, hic hic res infinitas in infinitum posse, prout super regna & gentes ipsas sibi videntur constituti: postremò ipsis

Ierem. 2.

datum & mandatum esse ut quid in terris plantari,  
euelli, ædificari, aut destrui sit opus decernant iu-  
dicentque ipsi. At qui hoc Petro nusquam manda-  
tum est, sed Propheta illi Ieremia olim: quitamen  
non decernebat quidquam aut iudicabat ipse, sed de-  
creta iudiciaq; Dei sibi per Spiritum eius reuelata  
sic pronunciabat ut ipsius ori Deus indiderat. Id Pe-  
tro fuit mandatum, ut pascat non ut deglubat oves  
Christi, & quod tum illi, idem quoque omnibus est à  
Christo Domino nostro imperatum.

Atq; hac quidem si nunc primum à viris doctis  
quibus Germania abundauit in dubium vocata es-  
sent, plius nihil laboris incumberet, & minus impu-  
dentia in Romana lupa eiusq; catulis esse putaretur.  
Sed cùm hac ipsa diplomatis adeò seueri fundamenta  
nihil noui præter pigmentum Romanum habeant,  
sintq; eiusmodi quæ neque Christus, Apostoli, prisci q;  
Patres agnouerint neq; ex diuino neq; ex humano iu-  
re, qua Romani Casares & Reges alij sapenumero  
iustisq; de causis oppugnauerint, qua viri docti iam  
olim scriptis elegantissimis, certissimis argumentis,  
& grauissimis testimonij omniq; exceptione maiori-  
bus refellerunt antequam his partibus fuisse reddi-  
talux Euangelij, qua inde à tempore illo renascentis  
Euangelij opera clarorum hominum & potentium,  
in verbo fuerunt deturbata deletaq; penitus, quæ de-  
niq; in hoc tempore obtrudi non possunt Germania  
denuò

13

denuò sine publico & periculosisimo incendio: quod  
pietatis vestigiū, obsecro, quod caritatis (quam iste  
pradicat) paterna documentum, quod signū pacem  
coletis & cupientis animi, quod prudentis aut eti-  
am prudentis ingenij testimonium in ipso limine pri-  
moq; huius causa aditu putaueris comparere?

Nam si Christi, Apostolorum, Patrum qui  
propius ab aureo illo Apostolorum seculo absuerunt  
testimonia de hac re circumquisueris, non exstant  
aut leguntur usquam. Si qua autem adducuntur,  
detorta, corrupta, vitiata, conficta omnia: quod  
luculentis sanctissimorum hominum disputationi-  
bus euictum est confessumq; iamdiu.

Sin autem Casarum, Regum, aliorumque  
quamvis religiosorum Principum exempla libebit  
recognoscere, plena sunt historiae. Fridericum & Lu-  
douicum Cesares, quum iniquitatem istius potentiae  
experti essent, legimus non modo abusum eius à cerui  
cibus suis auertisse (ut isti λογοδιδαστοι solent distingue-  
re) sed etiam usum praeceps negauisse: Philippum Re-  
gem Gallie, cognomento Pulcrum, Bonifacij VIII.  
iniuriam ultum seuerissime. De Henrico VIII. An-  
glia Rege nihil dicturi sumus, cuius facta quæ bona  
sunt obscurari malis ac fermè deleri facile contende-  
ris: nihil de alijs Regibus, qui fructum pietatis sua in  
Ecclesias Christi memoria nostra contulerunt: ni-  
hil de illustrissimis Germania Principibus, quorum

immortalis virtus & constantia cum eterna laude  
 videtur quietem ab ista Tyrannide secundum De-  
 um genti peperisse, & posteris suis libertatem sanctam  
 (suas bona norint) comparasse: nam hac aduersa-  
 riorum exempla obiciunt esse, iniquum fore si ab his  
 exemplis legem vellemus statuere. Dicam igitur de ijs  
 qui hac etate nostra in ditionibus suis interuerterunt  
 autoritatem Papæ sine censura anathematismi, &  
 tantam esse hanc quantam Gregorius afferit negaue-  
 runt, cum tamen essent idem optimi atque certissimi  
 S. R. E. filij, Exstat lingua Hispanica libellus elegans  
 à Ferdinando Toletano Duce Albano scriptus, quo  
 Pontificiam autoritatem non secus exagitat, quam  
 si à Protestantibus (ut vulgo vocantur) Germanie,  
 aut ab Hugonotis Galliæ didicisset. Cogebat quidem  
 causa, quum partes ageret Hispaniarum Regis, &  
 Neapolitanum regnum à Gallorum copijs & Papæ  
 defenderet: sed tamen verum dicens Albanus non  
 dixit heretice, aut falsum dicens se & dominum suum  
 hereos crimine obligauit, nec propterea in anathe-  
 mataductus est. Quid Henricus II. Rex Gallia?  
 hic enim par pari referens edictis varijs oppugnauit  
 autoritatem Papæ ut sua consuleret, beneficia Eccle-  
 siastica dispensauit, prouentus detinuit Romam è re-  
 gno suo exportandos: qua edicta non solum in actis  
 suprema Parisiensis curia afferuantur, sed etiam  
 publicè in tota Gallia prostiterunt perdiu, & fuerunt  
 per

per nonnullos causidicos aucta annotationibus prolixis & liberalibus. Evidem de Henrici II. studio erga Romanam sedem sum optimè confirmatus: Albam item res omnes ab eo tempore gesta & susceppta declarant satis. Viderunt tamen uterque in causa sua Deo non irato immanem illam potentiam oppugnari & declinari posse. Idem prefecto, idem longemelius videt Germania, scit, confirmata est, obtinuit iamdiu: nunc verò euigilat tandem Gregorius XIII. in hac causa, ut rem tamdiu cognitam doctamq; dedoceat, Germaniamq; liberam subiiciat institutis suis.

Sed ne quis horum exemplorum autoritatem, deludat exceptione hac, tunc leges fuisse in manibus armisq; positas, iam literatorum hominum exempla & documenta afferamus. Etsi hoc quoque animaduertimus, duofuisse doctorum virorum quide hac causa scripsere genera: alios enim vetustiores & remotiores esse à memoria nostra, alios verò propius seculum nostrum accedere. Hic verò antiquiores illos placet omittere, quia à permultis frequentissimè laudati fuerunt in hoc argumento: propinquiores igitur audiamus, qui cetera fuerunt Pontificij.

Nihil de Blondo dicam & Pomponio Lato, quos affixit inuidia Pontificum & veritatis scintillantis oculum: nihil de Dante atque Petrarcha, quorum Poëticus feruor multa figurauit non pauca in-

goobis 36
 dicauit, quadam grauiſſimè euidentissimeq; protulit, quæ hodie non possunt non mordere Papas, ut ut imbiberint obſfirmationis improbiſſima. <sup>irrotinō.</sup> Hos autores & alios consimiles qui velitari potius opera quam iusto & aperto Marte oppugnauerunt Papas tacebimus. At illum Marsiliū Patavinum, illum strenuum assertorem fidei quis tacere posſit? hic enim Fridericū Cæarem armauit instruxit q; copioſiſſimè aduersus laruas illas & manducos (ut vocant) Pontificū: hic tum argumentis à natura ipſa mediaq; Philosophia ſumptis demonstrauit que potestas quatenus homini poſſit competere: hic ſcriptura ſacra & testimonij docuit nugas inaneis eſſe quicquid Roman. Pontifices de ſua potestate & autoritate gloriantur. Demonstrauit autem ea vi, maiestate, veritate, & Spirituſ vehementia ut iniurianti Papatus os fuerit obthuratum, neque contrā hincere quisquam per ea temporat entauerit. Quid de Guilielmo Occamo dicam? cuius tant aſſuit in Cæarem Luduui cum fides, ut nihil ſubterfugerit laboris, nihil diſcri- minis ſubire dubitauerit, quo ex ſcriptura ſacra do- cumentis oſtenderet autoritatēm iſtam audaci & intolerando facinore à Papis arrogari, Cæareamq; maiestatem à Tyrannico ac potius hypertyrannico iſtituto Innocentij xxii. vindicaret. Tum etiam acceſſit huic tanquam ſuccenturiatus Petrus de vi- neis Iuriscon. qui ex iuris naturaliſ & ſcripti fonti- bus,

bus, in primis autem Pontificiorum canonum lacunis hoc Pontificium confusionis dogma profligauit, et ita quidem profligauit, ut Pontifici præter sceleratā audaciam & impudentiam ex qua conflatus est nihil factum sit reliqui. Teigitur, o Gregori, non religio vera, sed ficta supersticio, non ius diuinum aut huma num vulnus, sed vis impia nefariaq; artes in rebus istis confirmarunt. Germaniam autem sua religio, & communia natura iura, & ciuiles ipsius leges à tuis artibus & machinationibus & mendacijs & viribus defendant certò, & integrum sartamq; (ut aiunt) tectam conseruabunt.

Verum quia iam de religione dico, nonne te, o D. Luther fortissime veritatis vindex, his temporibus nostris meminimus amplissimis thesibus oppugnare potentiam & primatum Papa, tuasq; theses aduersus totam Synagogam Satana & omnes portas inferorum (sic enim habebat propositionum illarum inscriptio) acerrimè defendere? nonne ex eo tempore constantissimè affirmare, & voce, scriptis, opere in id incumbere ut redintegrata Ecclesiis sua libertas à tyrannide portentii istius permaneret? nonne id cum viri omnes doctrina prestante celebres euicerunt, quorum Confessiones, Apologia, Articuli, institutiones sunt ad manum & in oculis omnium: tum verò disertissimè Smalkaldia anno M. D. XXXVII. summo bonorum qui interfuerunt consensu appensa est

atq; reprobata assertio n um quatuor Papalium im-  
pietas? Quae sint rogas? Prima, quod diuino iure  
(si Deo placet) Pontifex se in toto Christiano orbe  
supremum esse narrat Episcoporum & Minister-  
rum omnium: scilicet seruus seruorum est. Secunda  
quod diuino iure (hic ~~nouuus~~ tuus, Gregori) potesta-  
tem habet utriusq; gladij, reges regnaq; mundi insti-  
tuendi, destituendi, &c. nimirum secundum illud,  
**Lucas 22.** Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem ha-  
bent in eas vocantur benefici. Vos autem non sic, &c.  
**Tertia,** quod res istas credi & certò teneri necesse  
est sub pena damnationis aeterna, quia Pontifex vi-  
ces Christi in terris gerit: nempe argumento illius di-  
**Matth. 10.** cti, potius timete eum qui potest & animam & cor-  
pus perdere coniiciens in Gehennam. **Quarta,** quod  
nouas leges de cultu Dei, doctrina & Sacramento-  
rum mutatione ferre potest arbitratus suo, easq; leges  
summo in pretio haberi iubet, ut quae non equiparan-  
da solum sed etiam anteponenda sint scripturis sacris  
Dei q; ipsius legibus, & sine peccato nequeant prater-  
mitti. Scilicet huic belle cum Iacobo conuenit dicen-  
**Iacob. 4.** te, unus est Legislator, qui potest seruare & perde-  
re. Hac Poparum exoletorum exoleta dicta iamdiu  
Germania nouit, & scripture iudice, testibus secu-  
lorum antecedentium historijs, & ratione natura  
consentiente profligauit.

Potremò autem (quod grauissimum est) quis  
ita

ita desipit, ut sententia istius in Germania probanda atq; obtainenda difficultatem nesciat? quis istud fieri posse aut vinci putet? Illustrissimos Germania Electores, Principes, Ordines, gentem potentissimam ab isto iugo iamdiu liberatam se Pontifici Romano dedere? Gregorij dictis annuere? humanas traditiones excipere diuinarum loco? sinere ut ex illarum autoritate agantur feranturq; omnia? libertatem iuratam abiurare? posteritatem hac via mancipare seruituti miserrima? Auertat Dominus. Nunquam se horum pietas impietati Romana permisura est: nunquam fidem lenocinijs lupa illius habitura: nunquam vanissima hominum commenta in veritatis cognitæ locum suffectura: nunquam Rempub. & communia Imperij iura irruenti prædoni proitura: nunquam inestimabile libertatis bonum cum iactura fidei amissa: nunquam denique in miserabilem funestamq; seruitutem posteros conjectura. Confidit quidem iste prado artibus & mali-  
tia sua: de imperitia & imprudentia nonnullorum sibi videtur optimè confirmatus: de infastis nescio quarum rixarum seminibus sibi pollicetur omnia, si commode ipsius arte hominumq; venalium opera fo-  
ueantur atq; irrigentur: deniq; si intus Germania astuet, dicta facta omnia existimat. Quid est prado-  
nem esse nisi hoc est? Age igitur, ô Germania felix,  
felix Euangelio, felix libertate, felix ordine & con-

stituzione Reipub. animaduerte iam, obsecro, quid  
 agat iste, quid consilij capiat, quo erumpat audacie.  
 Gebhardum petens iste in Euangelium inuehit, dig-  
 nitatem Electoralem inuadens libertatem submouet,  
 ordinem & constitutionem florentissimam vestram Rei-  
 pub. agitans res nouas cogitat: atque id in te per te-  
 ipsam cupit efficere, quod per se non potest. Omnes,  
 credo, qui in Germania sunt, Euangeli negligentes,  
 libertatis immemores, ac Reipub. proditores futuros  
 putat, si unirixa aut alteri forte indulgeant, quam  
 ipse per emissarios suos & tubicines laceffens inflam-  
 mauerit. Erras Gregori, erras: nesciuit ante hac Ger-  
 manus tot tantisq; bonis publicis anteponere res pri-  
 uatas suas: imò ante annos multos pecuniam, sanguinem,  
 omnia exposuit alacerrime, ne veritatem li-  
 bertatemq; alumnam veritatis perderet. Tentas  
 frustra, hac non succedet via: preclusit Dominus.  
Quis ergo non miretur isthac consilia iniri in hoc  
 tempore? audacia impudentissima, grauiissimoque  
 scelere tentari fidem & constantiam Illustriissimorum  
 Principum, libertatem Imperij, publicum ordinem,  
 diuina omnia & humana iura? hac Gregorius quum  
 facit, perinde facit atque si Germaniam totam mis-  
 ceret incendio. Quòd si aduersus incendiarios sunt  
 magistratus dati, sunt vigiles, procubitores, & cir-  
 cuitores constituti: quis tantopere desipiat, ut à  
 suis custodijs vigilibusque, id est, à suis Principi-  
 bus

*bus in tanto incendio Germaniam desertam putet?*

Operosum Gregori xiiii. Papa fundamentum hactenus audiuiimus, & quam breuissimè fieri à nobis potuit expendimus. Iam de superstructione iniecta dicemus breuius: nam ut uno absurdo posito sequuntur multa, sic uno euerso plurima euertuntur, & omnia sua mole corruunt. Prudenter quidem certèrimoso & malè texto fundamento leuem struaturam imposuit Papa narrationis primùm, deinde verò sententia. Præterea & illud prudenter planèque (ut ita dicam) intrinsecus factum, quod narrationis sua principium finemq; occupat in amplissima suorum officiorum prædicatione. De his itaque nunc ex ordine videbimus.

### PRIMA PARS NARRATIONIS.

Proinde cùm ex multorum sermonibus & literis grauis iampridem rumor ad aures nostras peruenisset de turpi & flagitiosa vita Gebhardi Truchsii, qui Ecclesiæ Colonensi præerat, ingentis anè dolore ex tam graui Ecclesiæ vulnere fuimus affecti: & continuò literis nostris ac per Principes & insignes viros sui eum loci, officij, fidei, ordinis, ac iurisurandi monere, & quacunque potuimus ratione & caritate

verè paterna ad sanitatem reuocare conati sumus.

*H*is verbis Gregorius prædicat & studium animi, & officium suum. De studio quod narrat, iniurato credo: proculdubio enim graui dolore affectus est, & animus ei, & verecunda frons, & oculi, & aures, & omnia doluerunt. De officio autem cum ipsis operatum aliorum principum virorum præstito, Gebhardus ipse Coloniensis palam scripto non ita pridem professus est, & causas graueis firmasq; attulit cur id officij erga se in officium esse putauerit. Et si alijs quidem gratias egit amantissime qui se monitis ad ipsum missis facturos officium iudicabant: Romano vero Pontifici habuit quas debuit, & caritatem ipsius quam vere paternam fuisse dicit, in eunte astate sentit refrixisse, & in vatinianum odium furoremq; incredibilem abiuisse: adeò est multiplex caritas Pontifica. Sed tamen unum hic à Pontifice libet sciscitari, quod à bonis omnibus iudico expendi oportere. Quod ait Pontifex de turpi & flagitiosa vita Gebhardi Truchſii, hoc igitur utrum de vita ratione dicit quam ante suscepit am dignitatem illam iniuerauit, an vero de vita illius genere quam Gebhardus tantisper coluit dum gessit functionem suam? utram vitam criminatur? eamne qua antecessit, an eam quam in Episcopatu gessit? Atq; hoc non sine causa desideramus obseruari. Etenim ut vitam su-

am

am instituit Gebhardus ante suscep tam functionem illam, eius vita rei sunt Pontifices apud quos vixit & à quibus corruptam doctrinam & mores perditos didicerat: hoc ipse non obscure publico scripto confessus est. Proinde si quid in eo homine turpe, si quid flagitiosum fuit, id duobus nominibus Papa præstare debet: tum quia sic instituerant Pontifices animum vitamq; ipsius, tum quia Gregorius sic institutum curauit in hoc fastigium honoris euehi, euectumque comprobauit. Posteaquam vero factus est Archiepiscopus, quid est quod Pontificalia cohors reprehendat? Quòd defunctione sua cogitauit? laudabile est: quòd supplices suorum libellos accepit? at debuit: quòd libertatem religionis ausus est indulgere? at bona fide & conscientia non potuit denegare: quòd insurandum non obseruauit? at fidem Christo datum priorem esse tempore & dignitate duxit, prout reuera est. Videtisne Gregoriam virginem prudentissimam? videtisne Mineruum totius orbis castissimum? Romanus Pontifex & confessus Cardinalium uniuscuiusque peccata tegit, defendit, & probat qui se alumnū ipsorum sermone & facto profitetur: quisquis autem cupit seruus esse Christi, huius traducit vitam insidiosissimè.

Subiicit Pontifex, Sed ille, vt erat peruerso & obdurato animo, vel literas nostras ad se peruenire passus non est, vel si quas alias de eadem re

D

accepit & homines certos ad se hortatu nostro à nonnullis Principibus missos audiuit, iis ita respondit ut satis appareret sibi in animo esse nostrum illorumque officium eludere autoritatemque contemnere, ac deteriora quæque cogitare ac moliri, sicuti paulo pòst reipsa declarauit.

Prædicationem illā officij sequitur acerba et atrox criminatio: cuius partes lita vera essent quam confidenter à Gregorio Papa conscriptas sunt, Gebhardus certè Colon. omnium bonoruū vñnis reus grauiter esse diceretur. Sed si falso obtrudūtur illa, quid dicturi sumus? Ex lege Dei Gregorium hunc, quicunq; tandem est, falsa criminatio pœna subire oporteret: ex lege canonibusq; Papæ, spiritualis homo scilicet à nemine indicatur. Iterū dico, Gregori, & clariū, ut Roma exaudiās: si tueuincaris Colon. insimulare falsi, anathema es. Cur autē? quia anathemati ex presumpta accusatione falsa Coloniens. deuoueris. De accusacionibus ergo videamus. Etsi accusationes istas diluere non est meum, sed Gebhardi ipsius defensiones & probationes adducere. Quamobrem eo breuiores in hac causa futuri sumus. Ac primum quidem de turpi & flagitiosa vita quam Romana virgo obiicit, modore spondimus: si quid ante fuerit flagitijs, hoc schole Romane acceptum ferri, & quum bonum esse ut illa praestet: si in facta recentia carpit quod in Papam ipsum carnaliūq; Patrum confessum inofficiosa esse videantur.

tur, hoc nō ex ipsorum studijs & voluntatibus, sed ex Dei iusti iudicis & auctoritatis verbo & testimonij iudicari oportere. Etenim, Deus bone, quām multa probabantur Deo, quae Pontifices Romani improbarunt? ut res imperatae à Deo vetant, vetitas imperant? Quis hac nisi oculis & mente captus non videt? Hoc igitur iudice turpis esse & flagitiosa Gebhardi vita decernitur. Illam verò peruersitatem & obfirmationem animi ex eo conatur arguere, quod literas à Pontifice datas noluit accipere, aut eludendo atque declinando ipse & Principibus nonnullis responderit. Prisus falso est, fatetur enim accepisse: si quid intercidit, quid refert ipsius? Posterior fecit, sed iure fecit. Vtrū enim magis ex iure est, Electorem Principē Imperij se corā Casare Electorūq; collegio sistere, an corā Papa? vtrū ex dignitate? vtrū ex legibus & iure Imperij? Quid? nonne hoc ius in collegio Parium procerumq; Gallia, in collegijs Equitū auratorū plurimis, in corporibus longè inferioribus obtinet? an verò Principū Electorum sacri Imperij iura eo minora futura sunt, quod Electores sunt Imperij? nā si de hoc, Gregori, cognoscis & statuis arbitratu tuo, nō solū de huīus dignitate multū detraxeris, verum etiā toti Ordini Electorū ius cognitionis ad ipsum pertinēs ademeris. Impudens es, si hoc postulas ab illustrissimorū Principum confessu: imprudens, si per illos euenturum putas: si audes facere, temerarius. Bene itaq; Coloniensis, bene

ac meritò elusit literas & autoritatem quam iactas  
 & tibi impie arrogas: sapienter vero alijs respondit,  
 quum separatum dixit in foro suo, non tuo, de rebus  
 a se gestis respondere. Hic nemini fit iniuria, cum ex  
 Imperiali iure integra Caesaris Procerumq; seruetur  
 autoritas: nemo prater Pontificem iniuriam facit,  
 qui foro suo iam olim arrogauit omnia, & speciosam  
 suam Tyrannidem, qua plus satis abusus est, porrò  
 exercere cogitat. Quamobrem hac ciuili exceptione  
 incompetentis fori exacerbatus Papa quicquid in  
 buccam venit effundit acerbissime, ut Gebhardum  
 Coloniensem obruat calumnijs eumq; numero ma-  
 gis criminacionum quam veritate expugnet, dicens:

Nam præteralia enormia delicta quæ anteà  
 ille perpetrasse dicebatur, superioribus diebus  
 palam omnibus factum est, & nos multorum fi-  
 de dignorum relationibus & literis, aliisque au-  
 thenticis documentis, & fama vocèque ipsa pub-  
 lica notum & compertum habuimus, ipsum cum  
 primariis diuersarum sectarū hæreticis intimam  
 consuetudinem habuisse, consilia communicas-  
 se, impium foedus cum illis pepigisse, vt scilicet  
 post nefarias & sacrilegas nuptias quas animo de-  
 stinauerat Ecclesiam simul Coloniensem ipso-  
 rum ope & auxilio retineret, scripto a se semel at-  
 que iterum peruulgato ab Ecclesia Catholica de-  
 fecisse & in hæresin incidisse, potestatem suis sub-  
 ditis

ditis eandem hæresin amplectendi fecisse, ac tandem publicis nuptiis cum quadam muliere, hæretico Ministro Caluiniano conciliantc, contractis se coinquinasse, ac postmodùm cum eadem prætensa vxore publicè conuiuia celebrasse & choreas ac tripudia duxisse, Bonnam insigne Coloniensis ditionis opidum aliaque loca vi occupasse, præsidio militum firmasse, apertamque tyrannidem Capitulo frustra reclamante exercuisse, scripturas omneis ad Ecclesiam Colonensem pertinenteis & aurea argenteaque vasa quæ Bonnæ custodiebantur corripuisse & secum asportasse, totam denique ditionem bellicis tumultibus & periculis implicasse, & spiritualia ac temporalia omnia pessundedisse.

*Eorum criminum quæ hic Gebhardo inferuntur primum est consuetudo, consiliorum communicatio, & fadus cum primarijs hæreticis diuersarum sectarum. Hic verò tu hostis pacis infensiſſime discidiorumq; artifex, hic tua artis oblitus es. Nam si cū hæretico uno primario, si cum hæreticis unius sectæ dixisses, fomitem admoniſſes incendio tuo quod Germania iamdiu parauisti. Hos notans, illos adiunxiſſest tibi, aut minus offensos fortè habuiffes. Verum bene est, Gregori, quod hac in re paulisper dormit auisti & tempeſtiuè animum explicauisti tuum. Iámne videtis, ô Illuſtriſſimi Principes, generosi proceres,*

pī Germania alumni, iāmne videtis omnis sine ex-  
 ceptione, sine discrimine hereticos dici, reos peragi,  
 damnari, & in posterū si qua se dabit occasio (quod  
 gratiōsē auertat Dominus) commune in omniis ma-  
 lum ab officina ista & latronum specu peruenturum  
 esse? Iāmne videtis Romanam Medeam istam si-  
 quos blandē compellat filiorum nomine, gladio ad ca-  
 des eorum cruentissimas armatam esse? videtisne  
 altera manu panē, altera lapidem? Nam omnes hic  
 aequē dicūtur heretici: omnes igitur pñnam Romana  
 lupa iudicio subituri. Neq; vero iam hoc tempore fui-  
 set dicturus & istud verbum veritas extorsisset, nisi  
 istius tam nefarij consilij perficiendi spem aliquam pu-  
 tauisset hoc recētē factō affulgere, quid autē heretici?  
 Sic iam audet Pontifex verbis offendere? Hereticos  
 Principes Germania dicere? Et unde ista audacia?  
 Hæreticum hominem facit error, euictio, pertinacia.  
 Evidēns si usquam errorū centones vidimus, in Pa-  
 patu video: si unquā euicti sunt Papatus errores, vi-  
 cuntur certē hoc nostro tempore, quo probacionibus,  
 confessionibus, euictionibus abundamus: deniq; iam  
 conclamatum est, quum sola hæretica (ut loquuntur  
 illi) pertinacia Papatus & Cardinalatus pugnet.  
 Quid ergo nobis cum isto discidiorum parente, condē-  
 nationū autore, furiarum patre, iniquitatē opera-  
 rīo, filio perditionis? Scilicet hic dignus est qui omnes  
 iudicet, & à nemine iudicetur: nam etiā diuina qua-  
 dam virgulatam bellè utitur ut intima etiam homi-

vnum consilia peruectiget ac nouerit. Gebhardū enim  
nō dubitat affirmare de Ecclesia Coloniensi in propri  
et atē sibi vindicanda consilium iniuisse, quamuis hic  
sancte & semper suspicionem istam negauerit.

Secundum crimen est defectio ab Ecclesia Romana  
quam dicit catholicam, mens heretica, & copia sub  
ditis facta eamdem heresin amplectendi. At qui hæc  
nō heres, sed via veritatis est, quum ab Ecclesia Ro  
mana Apostatica discedens se in sinū voluit illius ger  
manæ & catholicæ recipere, quā ut Christianus am  
plecti debuit, & subditis ut Princeps permettere. Mi  
rabar quid hoc sibi vellet, quod Papatādiu principa  
tum mundi sibi arrogauit, quē studiosè recusabat &  
fugiebat Christus: nūc demū autē mirari desino, cūm  
ipsa Dei sapientia iudicio Pontificū dicatur heres, &  
non secus huic Rhadamātho veritatis Euāgelica lux  
quām Iudeis olim & Gracis ludibrio & offensionis sit.

Tertium crimen est coniugii idq; ab hereticomi  
nistro Caluiniano conciliatū, coniuicia, chorea. Con  
iugium honorabile et imperatū à Deo quod magis dā  
nat et acie infesta persequitur quām adulteria turpis  
sumaq; Roma scelera, impiè facit: quod homini resi  
piscenti obiicit, inique facit: quod à Caluiniano  
ministro conciliatum dicit, veterotoriè. Iam vetus  
iste serpens animum suum prodit, nec venenum dissim  
ulat: qui omnis uno telo prius volebat confodere,  
nunc vnum nominatim petit, sed mendace arcu &  
Scythico. Quorsum autē? nempe ut quorū communē

antè condemnationem pronunciauit, eorum opinionem semine dissensionis iniecto fallat  $\mathfrak{E}$  (quod antè dicebamus) sedendo vincat. Et quo autore? quo teste? quo argumento? Percontari non est nostrum: satis est dixisse Pontificem, modò dissensionem quam procurat effecerit. Nunc vero pietatem Illustrißimorum Germania & Principum, subditorum, bonorumq; omnium oportet appellare, fidem implorare, ad prudentiam  $\mathfrak{E}$  pacem in sanctimonia cohortari, aduersus hac tela cudentia ut sese in Christo instruant obsecrare: hic enim latens venenum est, hic ignis abditus, quo se Gregorius ipsa Germania viscera inflammaturum putat. Fugiamus, per Deum, immortalem, exitialia hac incēdij publici instrumenta: circumspiciamus uno animo, quid factos sit opus: quicquid Papa suis rationibus ad nos perdendos videt conducere, id totum antevertamus prudentia ad bonum  $\mathfrak{E}$  salutem nostram. Receptum ille coquat venenum suum, nos vero mutuas operas ad conservationem nostram admoueamus singuli, quibus ad perditionem nostram se speravit abusurum. Nostra omnium coniunctio lethalis ipsi futura est. De coniuijs  $\mathfrak{E}$  choreis quoddicit (qua et si Canones improbant, approbant tamen Canonici  $\mathfrak{E}$  Romana Ecclesia Patres) id nos in medio relinquimus:  $\mathfrak{E}$ , si falsum est, dolori  $\mathfrak{E}$  indignationi Papa aquissimo animo condonamus, si nostra ipsi placebit condonatio.

Quartum

Quartum crimen est Bonna aliorumq; locorum  
 occupatio, tyrannica rerum administratio prater  
 sententiam Capituli scriptorum vasorumq; Ecclesi-  
 asticorum expilatio, &c. quairatus animus patheti-  
 cè & fraudulentus Rhetoricè magis quam verè pro-  
 nunciat. Ad hanc autem crimina multis responderi à  
 nobis nihil necesse est: iam enim publico Archiepisco-  
 pi Coloniensis scripto diluta omnia atq; deleta sunt.  
 Nam de Bonna & Coloniensi ditione tota aduersus  
 extera quadam consilia & machinationes firmanda  
 ut cogitaret iamdiu cogebat necessitas: accesserunt  
 graues nonnullorum Capitularium iniuria, quibus  
 antè l'asus est quam vel unico verbo quemquam of-  
 fenderet. Quid plura? cum de omnibus rebus suis  
 gestis se Gebhardus paratum esse ostenderit in iudicio  
 iusto legitimoq; respondere, neq; meum esse statuo neq;  
 viri ullius boni ante iudicium constitutum de hac  
 causa disceptare multis, aut iudicare temere. Nam  
 ipsa Gebhardi Coloniensis causam aperte & clare  
 loquitur quam si Pontifici responsaret in os: Tu me  
 primus, Gregori sermone & scripto ausus es accusa-  
 re, tu iudicium tibi arrogare, tu causa indicta contra  
 omne ius condemnare: mihi, velis nolis, defensio libe-  
 ra à mendacijs tuis futura est, mihi iudicium com-  
 petens, mihi iustissima exceptio à iudicio tuo: accu-  
 sarcres, Gregori, sequere forum meum: si non vis,  
 desine accusare, & à commentis porro fundendis &

spargendis in publicum abstine, ne maledicendo amplius male audias. Quinetiam ut iudex essem, fecisti litem tuam: iudicio tecum volo contendere, non à te iudicium accipere: nihil ad me iudicium tuum.

Ecce autem quām prudenter accusatione producta speciem cognitionis configit Papa, ut subterfugisse iudicium Gebhardus cōtumaciter videatur. Ait enim, Igitur nos tot tantisq; in hoc quasi monstrum congestis delictis, quae adeò publica & notoria ut nulla possint excusatione aut tergiuersatione celari, commoti & impulsi, causæ huius cognitionem & decisionem à dilecto filio nostro Andrea Cardinali ab Austria, cui tanquam legato commissa fuerat, auocantes & ad nos trahentes, sacris Canonibus ac prædecessorum nostrorum constitutionibus contra hereticos editis inhæretes: quamquam eum propter præmissa ab omni iure suo cecidisse dubitandum non erat; tamen ut id omnibus constaret, etc. Inde addictionem sententia properat. Non enim supplicium irrogat Pontifex ut accusatores solent, sed fert sententiā ut iudex, tanquam recognita. Atq; hoc sententia illius Papalis est firmamentum, duobus nominibus Gebhardum reum peractū esse: primum heremodicio, quod istius causa cognitionē & decisionē dilecto filio suo Andrea Cardinali permisisset, ille verò nescio qua opera declinavit & praripiuit cognitionis instituta viam: deinde verò

*Liber roboratus  
dissertatio.*

33

ex facto quo ab omni iure suo ait cecidisse, cum adeo  
sint publica & notoria ipsius facta ut nulla possint  
excusatione aut tergiuersatione celari. Argutè qui-  
dem hoc & speciosè dictum: sed quam rectè, videri à  
nobis necesse est.

Primum enim id esset heremodicum, si in iustum &  
cōpetēs iudiciū ex iustis legū prescriptis vocatus esset:  
iudiciū Pontificis nūquā iustū fuit, ac ne hodie quidē  
est competēs iudicandis S.I. Electoribus aut alijs Ger-  
mania mēbris. Electorem qui excludendus fuerit (ut  
bulle aurea ut amur uerbis) cateri sui coelectores à suo  
excludūt consortio cognitione legitima. Deinde quid  
illud est, cognitionē & decisionē Cardinali permīssam  
esse? hoc verò mendacium esse nouerunt omnes. Nam  
quū praividicatū de sinu, de domo Pontificis, de Cardi-  
naliū consistorio mittitur mandaturq; an illud cogni-  
tionē mandare est? an decisionē permittere? imò nihil  
est aliud quam tyrannide immittere, iudiciis vim fa-  
cere, et Germanica ingenuitati ac libertati insidias  
ponere. De via autē praeclusa, audiūimus quidē fuisse  
impeditū Cardinalis iter: sed an Gebhar. autore, sua  
sore, principe factū esse cōstat? leuisima hac prāsum-  
ptio est, non idonea probatio. Deinde si fuisse ab eo fa-  
ctū, nōne legitimē potuit & sine illustris familia Au-  
striaca offensa auertere illegitimos processus Papa?  
quos ut illegitimos esse palam cōfirmaret, per adolescē-  
tē voluit retantā confici. Cogitauit enim si quid forte

offenderetur in hac administratione, posse eo facilius  
 atati huius, nomini, dignitati donari veniam. Id ta-  
 men omnino præstat, si quid mali cogitat Gregorius,  
 id ab ipso Germanè dici, quam Italicè operas submit-  
 ti quarum imprudentia abutatur, aut si male cecide-  
 rit, à se in atatem reijciat culpam. Deniq; widentur  
 mihi qui Cardinalis huius iter auerterunt permag-  
 num ipsius commodum procurasse: nam & sumpti-  
 bus pepercerunt, & consuluerunt honori illius. Nam  
 honor periclitaretur, sit anquam à secundario sente-  
 tia aliena fuisset grauiter pronuncianda post cogni-  
 tionem ludicram & dicis causa solùm institutam. Ex  
 facto autem cecidisse ab omni iure Colonensem pro  
 autoritate dicit, non rei veritate ductus, sed propria  
 voluntate. Quid enim fecit? quid commisit Gebhar-  
 dus quod eum ineptum functioni reddat? deinde vt  
 commiserit (quod ego quidem non video) qua legitimi-  
 macognitio data aut habita est in causam illius? Et  
 tamen his fundamentis confidens Papa ad sententi-  
 am ferendam prorumpit diuina potestatis index.  
Quamquam gratosum illud est, quòd tanta auto-  
ritate vir primum sacris Canonibus ac predecesso-  
rum suorum constitutionibus inhæret digna & planè  
Papali modestia, tum quòd rem cum Cardinalium-  
suorum Consistorio communicandam duxit, eorum-  
que consilio & assensu statuendam.

Tamen, inquit, vt id omnibus constaret, re  
 cum

cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus communicata, de eorumq; consilio & assensu, motu proprio, ex certa scientia, ac etiam de potestatis plenitudine supplentes omnem iuris defectum, si quis sit in Consistorio nostro secreto, &c. Prudenter factum, inquies: Illud verò quām prudenter? ut bene fideliterq; insistit hanc modestia viam, quum hoc subiicit? se motu proprio, ex certa scientia, ac etiam de potestatis plenitudine supplere omnem iuris defectum, si quis est in secreto Consistorio suo. Motu proprio, inquit Gregorius: ergo non de sententia Consistorii, nam hic motus communis esset, non autem proprius. Tum ex certa scientia: ergo diuinatione, aut præsumptione temeraria, cùm de re non cognoverit, & cognitionem ipsi Gebhardus Coloniensis nondum permiserit, neq; ex iure sine ordinis sui iniuria possit. Quid amplius? de potestatis plenitudine: nam ebullit feruetq; vt nouum vinum, perrumpitq; hac sua plenitudine omnes humana infirmitatis fines. Postremo quām est illud bellulum? supplentes omnem iuris defectum si quis sit in secreto Consistorio, hoc est, si quid iniustum est efficientes iustum. Hac vero potestas (vt ita dicam) plus quām diuina est: nam homines quidem impios iustificat in Christo Deus: sed ut rem qua simpliciter iniusta est simpliciter efficiat iustum sola ductus potestatis plenitudine, hoc in paradoxis Gregorianis est. Tam enim

abhorret à probando falso & iniustitia absoluenda,  
quam ab euentienda veritate iustitiaq; condemnanda:  
utrumq; odit & exsecuratur Deus. O intolerandā  
audaciam! o blasphemiam impudentissimam! Hac nos  
serui Dei, vita cœlestis hæredes, Germanica libertatis  
consortes feremus, & mysteriū iniquitatis plus satis  
rectum siccis oculis disimulabimus? Iam vero de  
sentētia tota quam fert Gregorius Papa videamus.

Gebhardum Truchsium prænominatum, uti  
hæreticum notoriū, & infinitis propè criminibus  
maculatum, ac perjurum, & Ecclesiæ Rom. rebelli-  
lem, ac excommunicatum & anathematizatum  
tanquam membrum putridum & ab Ecclesiæ Ca-  
tholieæ corpore separatum, dicta Ecclesia Archie-  
piscopali Coloniensi, omniq; titulo, officio, dig-  
nitate, ac iure quod sibi ad eā quoquis modo com-  
petere posset, nec non aliis omnib. dignitatibus,  
canonicatibus, beneficiis, officiis, pēsionibus, iu-  
ribus, feudis, actionibus, & iurisdictionibus qui-  
buscunq;, quæ huc usque quoquis modo habuit,  
possedit, priuatū fuisse & esse declaramus, & qua-  
tenus opus sit de nouo priuamus, Ecclesiamque  
ipsam Colon. & cetera omnia prædicta vacare de-  
cernimus, ac ad illa aliāue in posterum obtinēda  
penitus inhabilem fore statuimus & mādamus:  
Declarātes proptereā, si deinceps idē Gebhardus  
in his quæ erant priuū sui munēris ratione omniū

supra-

supradictorū se immiscere præsumperit, omnes  
 & quoscūque actus in quibus ipsū interuenire  
 contingat, nullius esse roboris & momenti, ita ut  
 nullo vñquā tempore firmitatē habeant & vigō-  
 rem. Quocirca Decanum, Canonicos, & Capitu-  
 lum dictæ Col. Eccl. omnes parochos, ac vniuer-  
 sum Ciuitatis ac prouinciae eiusdē clerū, nec non  
 vasallos subditosque, & ciuitatū opidorū locorū  
 gubernatores, arcium præfectos officiales & mi-  
 nistros quoscunq; à iuramento, si quod ipsi Geb-  
 hardo præstiterūt, liberos & exēptos esse, ac nulla  
 in re ei obediētiam debere, similiter statuimus &  
 declaramus: mandantes eisdem & eorum cuilibet  
 sub excommunicationis poena quam ipso facto  
 contrauenientes incurrent, vt post hac Gebhardo  
 suisq; procuratoribus in aliquo non respondeāt,  
 vel pareant, vel parēre intendant. Cæterū idem  
 Colonense Capitulū serio monemus, vt quum  
 primū de priuationis sententia notitiam habu-  
 erint, ad electionē noui Archiepiscopi, termino  
 ad conueniēdum Canonicis absentibus præfixo,  
 omni mora cessante procedāt, non obstātib⁹ pri-  
 uilegiis quibusdā, etiā Apostolicis Præsuli Colon,  
 forsitan concessis, approbatis, & innouatis, cete-  
 risq; contrariis quibuscūq;. Ut autē hē literæ ad o-  
 mniū notitiā faciliū deducātur, volumus & eadē  
 autoritate Apostolica decernimus, vt earū trans-

sumptis, manu scriptis vel impressis, Notarij alicuius publici manu subscriptis, sigilloq; personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibetur in iudicio, vel extra illud, quæ haberetur ipsis præsentibus, si es- sent exhibitæ vel ostensæ.

Tria sunt sententia istius ~~etiam~~ paucis exposita, Gebhardum hunc hereticum esse, criminosum, per- iurum: quibus pro corollario additur, Ecclesie Ro- manæ rebellem esse. Magnum scelus, si commissum est: sed quid, si non est commissum? magnum etiam criminatio[n]is scelus & pari pœna feriendum. Her- eticum esse negauimus: criminosum & periurum non agnoscimus. Criminosus si fuit, id à Pio & Gregorio didicit: ex quo à Gregorio discessit, criminibus renunciavit, quæ dicuntur, anteacta vita. Quod au- tem periurum esse narrat, graue est: sed quo nomi- ne periurum? quia non seruauit fidem S. R. E. da- tam. Miror Gregorium xiiii. Iurisconsultum exi- mium ita in rem perspicuam & planam impingere. Fidem primò Coloniensis Archiepiscopus dederat Christo Seruatori nostro, dedit secundò Papa. Hac autem illitam aduersatur quam Papa Christo: ad- uersatur plane. Sic Gebhardus sentit, ex quo hanc fidem cum illa ex verbo Dei comparauit. Rogote, Gregori, utristare Gebhardum oportuit? A priore non liberauit Christus, nec Papa liberare potuit.

Priori

Priori ergo stare ipsum oportuit, & postquam excederat, Christo priori iustoq; Domino se restituere. Deinde Pontificiam tyrannidem ponamus non esse de regno Antichristi, sed Pontificem Christi vices gerere: qua tandem ratione vinces per iurum? Nam quum fidem dedit Pontifici, dedit Christo cuius vicem ille obiri à se gloriatur. Quod ergo promisit, Christo promisit, non Papa: & si quid Papa mandauerit, certè Christo propter ipsum, Papa propter Christum parendum fuit, ne beneficium Christi committeret. Quid autem si aliud Papa exegerit quam in mandatis à Christo habet? optimè profecto sibi Gebhardus bac in re consuluit, qui Christo potius mandanti quam Papa fingenti & falsario commiserit. Est quidem omnis anima superioribus potestatibus subiecta: sed nulla est potestas nisi à Deo. Deus potestatem supremam obtinet, Rex Regum & Dominus Dominorum est, ac proinde infimus quisque vasallus primo, pricipue, & propter ipsum parere semper debet voluntati Dei. Hacte ex iure, Gregori, videre oportuit, non commentata tua importunitate & impudenteria summa profundere.

Sed quam sententiam, Deus bone! Primum anathematizatur, traditurq; Satana & ditione irreuocabili: hoc enim sibi vult anathema. Scilicet ita Christus, Apostoli, Patres, Ecclesia prisa pronunciauerunt. Index incompetens, pars aduersaria, sine cog-

nitione causa legitima praeuenit cognitionem legitimam competentis fori, & neque seruatis gradibus pietatis atque charitatis, neque praeuentibus omnibus iustis officijs in re tanta praeceps ad anathema pronunciandum rapitur. Olim prisca Ecclesia vix in priuatum quemquam & certum hominem usa est anathemate: si quando oportuit, mirum quantum temporis in monitis, reprehensionibus, sollicitationibus, precibus, interminationum formulis dirarumq; (ut vocant) gradibus fuit obseruatum. Hac omnia Papa homini religiosissimo sanctis canonibus adamassim inherent, liberum est pratersilire pro sua illa supra quam diuina potestatis plenitudine. Ecquem serium Papistam non pudebit istius facti, si ad rem proprius animum aduerterit?

Deinde omnino priuat omni iure tum ad Ecclesiam Colonensem tum ad res ceteras spectante, id est, Electorali gradu, dignitatibus, & bonis non solum aduentitijs, sed etiam patrimonialibus: vacare Ecclesiam Colonensem iudicat, & omnes Gebhardi actiones in futurum dicit infirmatas. Quid plus dicas hac audiens a se uera, irata, & furibunda matre ex haredari filium & pro non filio haberi. Miror si hoc Christus Ecclesia Catholica sponsus annuerit, qui filium hunc semine incorrupto verbi generauit recens. At qui non potest id ullam mater facere sine consensu patris, sine causis grauiissimis, sine earum cogni-

cognitione iusta: minus etiam dissentiente patre; at reclamante, minimè. Voluntatem videmus Papa & Consistorianorum Cardinalium: sed hac non est Christi, non Ecclesia voluntas: imò hac ab illis dicuntur contra voluntatem Christi, in cuius Testamento legimus, Quicunque fecerit voluntatem Patris Matth. 7.  
 mei qui in cœlis est, is meus frater & soror & mater est. Sed quid illa fiet laudabili consuetudine qua in Imperio obtinet? In rei caput & fortunas de eadem causa nemo potest inuolare. Si ergo Pontifex Gebhardo legitimè index datus esset, atq[ue] hic peractus reus, tamen exceptione hac se optimo iure defenderet Archiepiscopus, Nonne tibi satis est meum caput animamq[ue] meam exponi omnibus iniurijs hoc tuo anathemate? cur mihi beneficium illud non sines integrū quod santes qui que grauiissimi in Imperio obtinent? quod si rationem mei non habendam putas, saltem, habeto publicarum legum. Si me hac iniuria affidendum putas, quid iura publica commeruerunt? quid te offendit Imperij huins autoritas? Tu etiam mihi patrimonium adimes? Hac profectò non solùm rei familiaris mea iniusta depradatio esset, verum etiam Imperialis iuris violenta & intoleranda concusso.

Hinc malum tertium nascitur, quod omnes qui in ditione Coloniensi sunt à iure iurando quo obstricti fuerunt Gebhardo absoluuntur, cum interdictione quis porro mandatis illius pareat, &c. Audax

facinus, quod in Germania hac subditi à iure iurando & fide suo Magistratui data liberantur, & contrarium mandatum iubentur accipere. Quid enim non audeat Pontifex? verum tamen hoc ille, cuicu- modi est, nec debet nec potest facere. Non debet, quia perfidia est quam in genus humanum inuehit, probat, imperat, exemplumq; omnibus statuit perfidie licentiosissima. Non potest autem, quia vel natura teste is demum cui data est fides ac non alter potest absoluere: prasertim autem in hac causa, quia neque index est competens, neq; ritè cognouit, neq; formas & cautiones iuris adhibuit qua ad rem tantam de- cernendam sunt necessaria, ut ante pluribus demon- strauimus.

Quid quartum? mandatur noua electio Capitu- lulo, non obstantibus ullis legibus & privilegijs, ac propterea citari Capitulareis omnes precipitur ut ad diem dictam compareant imperata electionis ergo. Leges igitur Casareas non curat Papa, non pri- uilegia iam olim concessa atq; attributa, non indul- gentias suas. Ac de Pontificijs quidem indulgentijs non miror: nam bene & prudenter Iurecoff. olim sta- tuerunt non debere cuiquam nocere liberalitatem suam: itaq; Pontifices si quid prolixè & liberaliter indulserunt (sunt enim plerumq; in re aliena libera- les sine sumptu suo) illud pupillari lege recipiunt & se restituunt ipsis in integrum sine cognitore: quis enim  
de

de Pontificum causa cognosceret? Verumtamen parcere debuit sanctus ille Pater legibus Imperialibus, Caesaris Electorum ordinumq; honori & dignitati consulere & aliquideis tribuere, ciuitatis Colonensis, ditionis, adeoq; naturae ipsius iura suo loco relinquere. Hac Pontifex nihil moratur omnia, nihil obstant voluntat eius, conturbat res diuinias, humanas, sacras, profanas, plenitudine potestatis sua. Desipuit ergo non mediocriter fretus sua plenitudo ne, quum Germaniae proceres adeò putauit despere ut hac non videant reposcantq;. De Capitularium autem citatione ad certam diem imperata quid dictur sumus? Ouiculam dicas imbellem & simplicissimam esse, ab omnipotenti cogitatione abhorrente: sed quid fuit insidiosius? Nouit Pontifex Capitulareis aliquot esse qui Gebhardi causam probent, plureis qui actiones violentas collegarum suorum improvent: nouit altero conuentu Capitulari non iurgia solum & minas sed pugiones etiam transcurrisse ut unus confoderetur qui sententiam suam ex officio liberè dixerat: denique nouit omnia ad seditionem & cades esse comparata. His ergo qui contrà sentiunt quid tribuit Pontifex hac citatione sua? nempe ut aut periclitentur de vita si aderunt, aut metus causa votis aduersariorum adiungant sua: sin autem aberunt, contumacia nomine abdicentur. Non satis fuit, o Gregori, citari bonos, nisi etiam vis auertere-

tur eorum qui ad maleficia iam diu fuerunt comparati. Illos ita citari oportuit ut horum coerceretur impetus & violentia. Si illorum vita & honoris insidia palam sunt posita in Capitulari confessu, non placet cauere: iam verò si non adfuerunt actiones nouae, non placebit hos exceptione defendi. Quod metus, & dignitatem suam retinere. O contumeliam!

Postremò autem quām festiuū illud est, quōd perscriptiones sui diplomatis non à notariis solum, ob signari mandat, sed à suis quoq; sacrificulis, & in iudiciis omnibus hac lege haberirata? Aut igitur falsariis abundat Roma quōd huius cautionis tam repente venit in mentem Pontifici, aut Notariis Germaniae censoriam notam voluit imprimere, tanquam si falsas tabulas aut non idoneas levitate perfidiaq; maxima exararent. Sic nullus est ordo per Germaniam totam, in quem Romanus Pontifex hoc tam brevi scripto non sit iniurius.

Illud verò quanto festiuū? quōd isti omnibus attexitur sanctio Pontificia & denunciatio portentosa indignationis ab omnipotente Deo & beatis Petro & Paulo Apostolis. Non dum enim à spectris & terriculamentis suis Pontifex didicit abstinere, qui spectra tamen in Germania fugari expertus est iamdiu. Nos autem Romanos istos Lemures in Remurinam possessionem Auentini montis relegantes Romano

Romano stylo condonabimus, pro certo habentes quod iste suis diris negat, Petrum, Paulum, & alios Apostolos nunc quiescere à suis laboribus, & nihil minus quam ad huiusmodi Papales minas attendere. Hac ergo illa est ratio anathematis quam Gregorius noster hoc tempore & loco pro plenitudine potestatis sua putauit usurpandam.

Atque hac quidem mala & incommoda sunt grauiſſima in Pontificio hoc anathemate. Restat ut (quod tertio loco facturos diximus) de effectu istius anathematis dicamus paucis, quem omnes boni animo prauident, & cuius mala perhorrefidunt quicunque bene Germania cupiunt. Ac multa quidem istius anathematis effecta ab ijs predicatori possent qui plus ingenio, peritia rerum & commoditate dicendi valent: mihi vero ad rem presentem videtur satis, si pauca quadam ex multis breuiter demonstrauero. Dicimus igitur hoc anathemate euentura esse hoc: iura & libertates Caesaris ipsius, Electorum, Principum, omniumq; Imperij Ordinum, si nunc rumpi cuperint, inclinatura esse in posterum & miserè tandem ruitura: tum regna ipsa, potestates, & dignitates omnis quarum hic in Germania cognitio iure ad Germanos pertinet, intyrranicā Papamanum potestatemq; deuentura: præterea non esse pacem inter singula Imperij membra,

inter Electores, præsertim, constituram: item doctrinam, pacem, & securitatem bonorum qui puriores Ecclesiæ colunt in Germania tota periculum non mediocre (ne quid dicam grauius) subituram: adhac Coloniensis Ecclesia, ciuitatis, & ditionis statum venturum in discrimen esse, cuius ne ipse quidem Pontifex sit futurus expers: postremò infidelibus Turcis & alijs aditum in Germaniam sterni & interencionem certam vastitatēmque comparari.

Imperialia iura atque libertates omnium perturas breui, si anathema istud obtinebit, certis rationibus facile est commonstrare. Primum enim si dictum illud impudens in Germania semel inualescat, non obstantibus priuilegiis quibuscunq; etiam Apostolicis, &c. si factum istud accipiatur, Electorem sine cognitione qua Imperij cauetur legibus per Pontificem abdicari: iam ex facto Germania sciens prudens suo iuri renunciauerit. Hoc enim neq; à Caſare, neq; à Principibus Illustriſsimis, neq; ab Ordinibus Imperij totius ferri potest, quin & Pontificia autoritatē dedant sua ipsorum iura, & publica quoq; Imperij (cui in contrarium dederunt fidem) finant mancipari. Deinde nota est iam & explorata plus satis Pontificum auaritia, ambitio, ingluies, perfidia, qui semper iure pupillari sunt in amittendis possessionibus, Giganteo labore in acquirendis, & in administrandis Troiano utuntur dolo. Hunc sibi Pontifices

tifices bolum è faucibus eripi, ubi semel indiderint,  
nequaquam perferent, etiamsi totus Acheron per-  
mouendus esset: potius ut Gangrena depascent alia  
ex alijs Germania membra. In primis autem quis du-  
bitet, si qui aut amore & gratia Pontificum, aut  
finitimorum suorum odio atque inuidia, aut com-  
modorum spe, aut religionis specie facinus hoc fece-  
rint vel dissimulauerint, hoc Deum iusto iudicio  
vlturum esse? An ergo nesciunt illi quod Alexander  
Seuerus olim ex Christianis didicerat, Quod tibi nō  
vis, alteri ne feceris? Nam sine faciant ipsi, sine  
fieri sinant, nihil aut parum refert. Abiectam publici  
bonicuram detestatur Deus, & officij in Rempubl.  
omissi culpam reposciturus est. Sperabunt fortasse  
illi se sibi nouastabulas à Pontifice curaturos: fallun-  
tur autem si putant illum renunciaturum esse pleni-  
tudini potestatis sue ipsorum caussā: nunquam dum  
erit Pontifex, formula hac Pontifica deerit aut sty-  
lus mutabitur, non obstantibus priuilegijs quibus-  
dam, etiam Apostolicis, &c.

Quid? quod non iura solum & actiones Prin-  
cipum, Rerumq; Pub. Pontificibus mancipantur,  
sed etiam possessiones, ditiones, potestates, dignita-  
tes, regna à solo Pontificum pendere nutu deinceps  
dicerentur? Principes ex autorare, subditos à fide  
data absoluere, alios ex animis sententia sufficere,  
subditos eodem cogere sine cognitione Imperij: quid

hoc est, nisi principatum atque tyrannidem, in Casarem, Electores, Principes, Ordines, Imperium, denique totum exercere est? Quod si quis se hodie esse in gratia putet Pontificis, velim cum animo suo idem quoque cogitet instabilem esse eum vitreum illorum gratiam, frequentem perfidiam, perpetuam tyrannidem; proinde quibuscumque promeretur ipsum officijs, nec sibi nec suis dum gratificatur tyranno, consulere, sed plerumque à tyranno perniciem, à propinquis nullam nisi malam gratiam reportare. Sic abit illa amplissima eum aurea commoderum exspectatio, et ea ipsa è manibus excidunt quae possideri certo obtineri, ab ipsis videbantur. Horret animus eorum malorum recordatione, qua iij tandem subiuerunt qui Pontificum technis operam suam commodarunt rei priuatæ studio, aut ab illorum fide eum liberalitate falsa pependerunt.

Nullud amplius cogitemus, obsecro, qua pax in singulis membris Imperij futura est, si succedant ista. Hic dispositionem iuris possessionumque omnium ad Papam censebit pertinere, alter pernegabit contraria, alius partem aliquam ei adiudicabit, alius deliberandum putabit, et tanquam spectator otiosus aut rixas negliget aut omnia ludificabitur. Quid tunc, certum, stabile, coniunctum futurum est, siferantur isthac? In primis autem Illustrissimum Principum Electorum conditionem futuram repu-

reputans non video quām bene pax inter ipsos colli-  
 & fōueri pos̄it, hac probata lege. Nam increuerit  
 iam maximē Papa autoritas, si fractis legibus Imper-  
 iū de Electoribus quos Ecclesiasticos vocant solus  
 cogniturus est, & ius legitimū Casari ac Coelecto-  
 ribus adempturus. Hinc se Ecclesiastici multò magis  
 quām antehac Pontifici esse obstrictos sentient, decu-  
 ius sola autoritate pendeant, & à quo solo sibi sit me-  
 tuendum. Pōst auctas crītas atque confirmatas non  
 dubitat̄ in Electores alios erigere, si Ecclesiastici  
 de secularibus possint, seculares verò de Ecclesiasticis  
 non possint cognoscere. Id autem quām sit indignum,  
 quām parum ad ordinem equalitatem pacēmque  
 commodum, malo ab aliis expendi quām copiosius à  
 me explicari. Postremò an illud æquum est, Illustrissi-  
 morum Electorum familias amplissimas & antiquis-  
 simas ab his hominibus iudicari, hos autem ab illis mi-  
 nimē? At qui Casarem ipsum, si quid aduersus eum,  
 intenditur, aurea Bulla obstringit, ut se in conuentu  
 Imperii sistat & defendat causam suam Comite Pa-  
 latino Electore Praeside: & noui etiam homines hoc  
 ius obtineant ut in Imperio imperent, ac non  
 accipient imperata ab Imperio toto? O audaci-  
 am!

Verūm quid sanctissima hac nostra & salu-  
 tari doctrina futurum est? quid religionis pace?  
 quid bonorum securitate, nisi hoc auertatur ma-

lum? nam in bonos haec intenduntur omnia. *Vestra,*  
*o Principes Illustrissimi, et patrum vestrorum fides*  
*bis cuniculis in discrimen vocatur: vestra, o p[re]ij et*  
*sapientes viri qui fundamenta cœlestis illius doctrinae*  
*& olim iecisis per Deigratiam et qui adhuc super-*  
*struitis in Domino, vestra inquam diligentia labo-*  
*r[er]eque fidelissimi oppugnantur: pax in causa religio-*  
*nis olim sapientissime constituta, nunc concutitur*  
*grauissime: Nam eripitur vobis e manibus, nisi sa-*  
*piamus, illa securitas qua amicè fraterneq[ue] conuix-*  
*istis inter vos, et propinquis vestris ut si estis fami-*  
*liariissime, quum civilis ordo quem sanctificauit De-*  
*us, ordo benevolentiam, beneficentiam, humanita-*  
*tēmque fouens et educans conturbatur. Cogitate*  
*per Deum immortalem, cogitemus ad unum singu-*  
*li, et coniunctis studijs caueamus demusque ope-*  
*ram, ne deinceps hoc tantum bonum nos etiam pro-*  
*sequentes fugiat, si nunc quum expugnatur, ipsum*  
*patimur nobis intercipi imprudentia, ant facilitate*  
*et leuitate aliqua abiciimus.*

*Ecclesiam vero Colonensem, et ciuitatem,*  
*florentissimam ac ditionem totam quis non videat*  
*dari precipitem in discrimen grauissimum? Etenim*  
*Gebhardum Truchsum ab incompetente iudice*  
*sine cognitione et iuris forma illegitimè condemnata*  
*cum contra Imperiales leges non est credibile hanc*  
*injuriam perlaturum esse (quod etiam publico suo*  
*scripto*

scripto non obscure professus est) sed rationes initium ad restitutionem sui legitimam. Ante omnia verò ipsum Ecclesia Capitulum, quod temere fuit ad nutum Papæ in has erumnae coniectum, ut discidij & diuisionibus laboraturum est diu? Evidem, perhorresco totus, quum diurna mala animo repuso in qua coniectum est hac noua & insolente rerum administratione, quam absentes reiciunt, quam ex ijs qui adsunt non pauci reprobant, quam efficiunt paucissimi sua audacia & violentia, & quam in ipsorum capita metus est incasuram. Quod si in eotan tum membro malum subsisteret, aquore forte animo ferret pars bona Germania: sed quam graue illud est & miserabile, quod ciuitas ipsa & tota ditio ex hoc conflagrat incendio, & (nisi Deus è calore respiciat) miserrime consumetur? Nam ciuitatem suis factionibus iamque plus satis Capitulum implicauit, & porro magis ac magis (ni sibi cauerint) implicaturum est: hinc nascetur in ciuium animis odium & indignatio in Capitulareis, & incesset mentem sera Bauaricæ turris ad Rhenum, & rei olim inter Capitulum & ciues initæ recordatio: hinc aduenarum variæ de Coloniensium rebus gestis sententia, ludificatio, & inconstantia, leuitatisque (ne quid dicam grauius) exprobratio. Ditionem, verò, Deus bone, quas calamitates credibile est experturam? Nam cum iam manipulares aliquot in

Nota de  
Gaius

regionem inuecti omnia flagitijs, sceleribus, inhumanitate, impietate compleuerint, res diripuerint, omnia populati sint, in pueras & in pueros etiam turpisimo scelere exarserint, nihil denique sanctum integrum & inuolatum ab audacia, auaritia, ambitione, violentia, immanitatem reliquerint; non potest profectò fieri ut nouis aucti copius refrigescant ab impuritate sua, sed potius (ut augescente numero fiducia solet animorum augeri) profusi in omne scelus & impietatem futuri sunt, & ditionem totam suis depradationibus exhaustient implebuntque maleficijs.

Postremum illud etiam accedit incommodum, nisi auertat Dominus, quod vicina gentes extera Germaniam, qua hactenus terrorifuit ipsis, ludificabuntur, & de inuadenda illa cogitabunt hac sibi commode occasione oblata. Nam dubium nemini esse potest iam apud omnes percrebruisse rumorem, istum (ut vires acquirit eundo) nunc scissam esse Germaniam, in armis esse, dimicare, cadibus & sanguine abundare, in suum exitium concurrere. Accurrent emissarij Pontificis summi incendiariorum Principis, suos accendent, acuent, confirmabunt: aderunt mucrones Hispanici, Gallicasaga, aues denique velut sibilo accita ex omnibus Europa partibus cruentas maltationes obseruabunt, miseramque Germaniam in suum exitium conspirantem atque


atque ruentem adiuuare ad perditionem conabuntur, ut in frusta dissectam partiantur. Neque vero in Coloniensi ditione subsidet furor: sed tanta futura est rerum indignitas, si hac Pontificum incendi aperferantur (quod absit) ut Germanos peruagante funesto illo incendio tum alios ab alijs cauere sit opus, horrendum dictu, tum ab exteris viribus hinc inde occasionem hanc aucupantibus sibi consulere. Huic Constantia non satis dignum officijs laboribusq; suis premium videbitur: alteri Cameracū, Traiectum utrumque, Geldria, &c. non satis esse putabuntur, nisi insidietur vicino opido & illud reportet opera pretium: illi Metis, Tullum, Virodunum sordere videbuntur, nisi auctarium sua inanis opera acceſſerit. Quid plura? ne Turcis quidem ipsis gratius quidquam potest accidere, quam ut in sua ipsius viscerā Germania ſauiat, & ianuam patefaciat crudelitati ipsius.

Quæcūm ita ſint, ſperamus & confidimus omneis qui bene Germania cupiunt de his rebus cogitatu roſſeriō, antequam grauius inualeſcat incendium ſubiectum à Gregorio XIII. Pontifice: qui contra omnia iura, contra Imperiales leges, contra dignitatem Caſaris, Principum, omniumq; ordinum Imperii hoc tetrum anathema obtrufit Germania, ut hic in Germania hac inani ſpecie tyrannis ipsius poſſit obtinere. Rogamusq; primum omneis qui anathe-

ma istud lecturi sunt, ut accurate expensa impietate  
 & iniustitia eius omne studium, laborem, operam,,  
 atq; industriam conferant ad commune bonum posi-  
 tum in sceleratissima istius tyrannidis propulsione,  
 prout facturos esse confidimus: maximè vero Deum  
 Opt. max. prudentie, consilii, & fortitudinis auto-  
 rem, ut tum bonorum omnium animos instruat de-  
 rei grauitate, consiliis ornet, conatus secundet ac  
 defendat ab omnimalo, tum ipse gratiōsē perficiat  
 quod nō potest assequi humana infirmitas, gloriamq;  
 suam & pacem populi sui ita in Germania stabiliat,  
 ut nunquam Pontificum artibus aut administro-  
 rum eius aliorumq; violentia labefactari  
 aut conuelli possit.



GREGO-



**GREGORIVS EPISCO-**  
**PVS SERVVS SERVORVM DEI**  
**AD FVTVRAM REI MEMORIAM.**

**H**umani generis conditor & redemptor,  
 & summus æternusq; Sacerdos in cœlis  
 regnans, sanctam Ecclesiam suam Ca-  
 tholicam ita B. Petro Apostolorum prin-  
 cipi ac eius successoribus Romanis Pontificibus  
 regendam tradidit, vt ij super regna & gentes  
 constituti, potestatisq; diuinæ principatum in  
 terris obtinentes, quid in ea plantari, euelli, ædi-  
 ficari aut destrui opus esset, decernerent ac iudi-  
 carent. Nos igitur in eadem Apostolicæ sedis spe-  
 cula, quamquam tanto oneri impares, sola Dei  
 miseratione & gratia collocati, ad satisfacien-  
 dum muneri nostro eo solertius incumbere de-  
 bemus, quo magis huius seculi calamitosi tem-  
 pestates ingrauescere & nostram vndiquaque  
 vigilantiam requiri non ignoramus. Proinde  
 cum ex multoru sermonibus & literis grauis iam-  
 pridem rumor ad aures nostras peruenisset, de tur-  
 pi & flagitiosa vita Gebhardi Truchfii, qui Eccle-  
 siæ Coloniensi præerat, ingenti sanè dolore ex-  
 tam graui Ecclesiæ vulnere fuimus affecti: & con-  
 tinuo literis nostris ac per Principes & insignes vi-

ros sui eum loci, officij, fidei, ordinis, ac iurisfundandi monere, & quacunque potuimus ratione & caritate vere paterna ad sanitatem reuocare conatus sumus. Sed ille, ut erat peruerso & obdurato animo, vel literas nostras ad se peruenire passus non est, vel, si quas alias de eadem re accepit, & homines certos ad se hortatu nostro à nonnullis Principibus missos audiuit, iis ita respondit, ut sati appareret, sibi in animo esse nostrum illorumque officium eludere, autoritatemq; contemnere, ac deteriora quæque cogitare ac moliri, sicuti paulo post re ipsa declarauit. Nam præter alia enumoria delicta, quæ anteà ille perpetrasse dicebatur, superioribus diebus palam omnibus factum est, & nos multorum fide dignorum relationibus & literis, aliisq; authenticis documentis & fama, voceq; ipsa publica notum & compertum habuimus, ipsum cum primariis diuersarum sectarum hæreticis intimam consuetudinem habuisse, consilia communicasse, impium foedus cum illis pepigisse, ut scilicet post nefarias & sacrilegas nuptias quas animo destinauerat, Ecclesiam simul Colonensem ipsorum ope & auxilio retinere, scripto à se semel atque iterum per uulgato ab Ecclesia Catholica defecisse & in hæresin incidisse, potestatem suis subditis eandem hæresin amplectendi fecisse, ac tandem publicis nuptiis cum quadam

quadam muliere, hæretico Ministro Caluiniano conciliante, contractis, se coinquinasse, ac postmodum cum eadem prætensa uxore publicè conuiuia celebrasse, & choreas ac tripudia duxisse. Bonnam insigne Colonensis ditionis opidum, aliaq; loca vi occupasse, præsidio militum firmasse, apertamq; tyrannidem Capitulo frustra reclamante, exercuisse, scripturas omnes ad Ecclesiam Colonensem pertinenteis & aurea argenteaque vasa, quæ Bonnæ custodiabantur, corripuisse, & secum asportasse, totam deniq; ditionem bellicis tumultibus & periculis implicasse, & spiritualia ac temporalia omnia pessundedisse. Igitur nos tot tantisq; in hoc quasi monstrum congestis delictis, quæ adeò publica & notoria, ut nulla possint excusatione aut tergiuersatione celari, commoti & impulsi, causæ huius cognitionem & decisionem à dilecto filio nostro Andrea Cardinali ab Austria, cui tanquam legato commissa fuerat, auocantes & ad nos trahentes, sacris Canonibus ac prædecessorum nostrorum constitutionibus contra hæreticos editis inhærentes: quamquam cum propter præmissa ab omni iure suo cecidisse dubitandum non erat; tamen ut id omnibus constaret, re cum venerabilibus fratribus nostris S.R. E. Cardinalibus communicata, de eorumq; consilio & assensu, motu proprio, ex certa scientia, ac

etiam de potestatis plenitudine supplentes o-  
 mnem iuris defectum, si quis sit in Consistorio  
 nostro secreto, Gebhardum Truchsium præno-  
 minatum, vti hæreticum notoriū, & infinitis pro  
 pè criminibus maculatum, ac perjurum, & Eccle-  
 siæ Romanæ rebellem, ac excommunicatum &  
 anathematizatum tanquam membrum putri-  
 dum & ab Ecclesiæ Catholicæ corpore separa-  
 tum, dicta Ecclesia Archiepiscopali Coloniensi,  
 omniq; titulo, officio, dignitate, ac iure quod si-  
 bi ad eam quo quis modo competere posset, nec  
 non aliis omnibus dignitatibus, canonicatibus,  
 beneficiis, officiis, pensionibus, iuribus, feudis,  
 actionibus, & iurisdictionibus quibuscunque,  
 quæ huc usque quo quis modo habuit, possedit,  
 priuatum fuisse & esse declaramus, & quatenus  
 opus sit de novo priuamus, Ecclesiamque ipsam  
 Colonensem &cetera omnia prædicta vacare de-  
 cernimus, ac ad illa aliáue in posterum obtinēda  
 penitus inhabilem fore statuimus & mādamus:  
 Declarātes propterea, si deinceps idē Gebhardus  
 in his quæ erant prius sui munera ratione omniū  
 supradictorū se immiscere præsumperit, omneis  
 & quoscunq; actus in quibus ipsum interuenire  
 contingat, nullius effe roboris & momenti, ita ut  
 nullo vñquam tempore firmitatem habeant nec  
 vigorem. Quocirca Decanum, Canonicos, & Ca-  
 pitulum

pitulum dictæ Coloniensis Ecclesiæ, omnes pa-  
 rochos, ac vniuersum ciuitatis ac prouinciæ eius-  
 dem clerum, nec non vasallos subditosq; & ciui-  
 tatum, opidorum, locorum gubernatores, arcii-  
 um præfectos, officiales & ministros quoscunq;  
 à iuramento, si quod ipsi Gebhardo præstiterunt,  
 liberos & exemptos esse, ac nulla in re ei obedien-  
 tiā debet, similiter statuimus & declara-  
 mus: mandantes eisdem & eorum cuilibet sub  
 excommunicationis poena quam ipso facto con-  
 trauenientes incurrent, ut posthac Gebhardo su-  
 isq; procuratoribus in aliquo non respondeant,  
 vel pareant, vel parere intendant. Cæterū idem  
 Colonense Capitulū serio monemus, vt quum  
 primū de priuationis sententia notitiam habu-  
 erint, ad electionē noui Archiepiscopi, termino  
 ad conueniēdum Canonicis absentibus præfixo,  
 omni mora cessante procedant, non obstantibus  
 priuilegiis quibusdam, etiam Apostolicis Præfuli  
 Coloniensi forsitan concessis, approbatis, & in-  
 nouatis, ceterisq; contrariis quibuscunq;. Ut au-  
 tem hæ literæ ad omnium notitiam facilius de-  
 ducantur, volumus & eadem auctoritate Apo-  
 stolica decernimus, vt earum transsumptis, ma-  
 nuscriptis vel impressis, Notarij alicuius publici  
 manu subscriptis, sigilloq; personæ in dignitate  
 Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus

fides adhibeatur in iudicio, vele extra illud, quæ ha  
beretur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ vel  
ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat  
hanc paginam nostræ auocationis, supplicationis,  
priuationis, statuti, declarationum, mandato-  
rum, voluntatis, & decretorum infringere vel  
ausu temerario contraire. Si quis autem hoc at-  
tentare præsumferit, indignationem Omnipo-  
tentis Dei ac B. Apostolorum eius Petri & Pauli se  
nouerit incursum. Datum Romæ apud S.

Petrum, Anno incarnationis Domini-

cæ 1583. Pontificatus nostri II,

